


HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0600

Sabato 27.08.2016

Pubblicazione: Immediata

Sommario:

- ◆ **Lettera del Santo Padre al Suo Inviato Speciale al XXIV Congresso Mariologico Mariano Internazionale (Fatima, 6-11 settembre 2016)**
- ◆ **Lettera del Santo Padre al Suo Inviato Speciale al III Congresso per l'Africa e Madagascar sulla Divina Misericordia (Kigali, Rwanda, 9-15 settembre 2016)**

-
- ◆ **Lettera del Santo Padre al Suo Inviato Speciale al XXIV Congresso Mariologico Mariano Internazionale (Fatima, 6-11 settembre 2016)**

Il 9 luglio scorso è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. José Saraiva Martins, C.M.F., Prefetto emerito della Congregazione delle Cause dei Santi, come Inviato Speciale del Santo Padre a presiedere il XXIV Congresso Mariologico Mariano Internazionale, che avrà luogo a Fatima (Portogallo) dal 6 all'11 settembre, sul tema: "L'evento Fatima cento anni dopo. Storia, messaggio e attualità".

L'inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione Pontificia composta dagli ecclesiastici:

- Rev.do Mons. Fernando Silva de Matos, Consigliere Ecclesiastico dell'Ambasciata del Portogallo presso la Santa Sede;
- Rev.do Don Héctor Alfonso Ramírez Sanz Cerrada, Cappellano del Santuario di *Nossa Senhora do Rosário* di Fátima.

Riportiamo di seguito il testo della Lettera di Papa Francesco al Cardinale José Saraiva Martins:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro
JOSEPHO S.R.E. Cardinali SARAIVA MARTINS, C.M.F.
 Praefecto olim Congregationis de Causis Sanctorum

Maria "vivit cum Iesu plane transfigurata, et cunctae creaturae magnificant eius pulchritudinem. Mulier est «amicta sole, et luna sub pedibus eius, et super caput eius corona stellarum duodecim» (Apc 12,1)". Hanc sententiam placuit Nobis in Litteris Encyclicis *Laudato si'* (n. 241) scribere, in quibus Redemptoris Matrem rogavimus ut nos adiuvet hunc mundum sapientioribus oculis contueri. Valde cupimus in Ecclesia Marialem cultum promovere atque nunc animum Nostrum ad singularis ponderis eventum convertimus, tempus precis, meditationis atque considerationis, videlicet ad XXIV Congressum Mariologicum Marianum Internationalem, qui a die VI ad diem XI proximi mensis Septembris Fatimae celebrabitur.

Illustres Pontificiae Academiae Mariana Internationalis sodales diligenter argumenta proposuerunt investiganda quibus titulum dederunt: "Fatimensis eventus centum post annos. Historia, nuntius et praesentia". Licet opinari has doctas inquisitiones cunctis Beatae Mariae Virginis cultoribus novam inspirationem novumque spiritale iuvamen in nostrae aetatis circumstantiis tradituras esse: re vera "Ipsa non solum servat suo in corde cunctam Iesu vitam, quam sollicite «conservabat» (cfr Lc 2,19.51), sed nunc etiam intellegit sensum omnium rerum" (*Laudato si'* 241).

Laeto igitur animo epistulam recolimus Venerabilis Fratris Nostri Ioannis Francisci S.R.E. Cardinatis Ravasi, Praesidis Pontificii Consilii de Cultura, qui humanissime a Nobis quaequivit ut aliquem eminentem ecclesiasticum virum eligeremus qui Nostro nomine huic Congressui praeesset. Itaque ad Te, Venerabilis Frater Noster, animum Nostrum vertimus qui, insignis Lusitaniae Filius, Congregationi de Causis Sanctorum diligenter olim praefuisti atque erga Beatam Mariam Virginem de Fatima nota devotione excellis.

Idcirco harum Litterarum vi Te designamus MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM, mandatis Tibi factis, ut memoratis diebus Fatimae celebritatibus Nostro nomine praesis atque Nostros spiritales sensus pastoribus fidelibusque ibi congregatis humaniter renunties. De Matre Iesu loqueris quae "in peregrinatione fidei processit, suamque unionem cum Filio fideliter sustinuit usque ad crucem, ubi non sine divino consilio stetit (cfr Io 19,25), vehementer cum Unigenito suo condoluit et sacrificio Eius se materno animo sociavit" (*Lumen gentium*, n. 58) atque omnes adhortaberis ad spiritalem vitam renovandam, rerum adiunctis huius temporis atque spiritualibus necessitatibus attente consideratis.

Dum per Te, Venerabilis Frater Noster, Venerabilem Fratrem Antonium Augustum dos Santos Marto, Episcopum Leiriensem-Fatimensem salutamus cunctosque Praesules et fideles qui Fatimam ad Congressum advenient, sicut etiam civiles Auctoritates, precibus Nostris omnes comitamur atque invitamus ut praeceptum caritatis in vita cotidiana diligentius servare pergant, clarum exemplum Matris Ecclesiae studiose sequentes.

Munus tuum magni sane ponderis aestimantes, peculiaris benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem Tibi peramanter impertimus, universis Congressus Mariologici Mariani Internationalis participibus transmittendam.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVI mensis Iulii, in memoria Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, Iubilaeo Misericordiae, anno MMXVI, Pontificatus Nostri quarto.

FRANCISCUS

[01346-LA.01] [Testo originale: Latino]

◆ **Lettera del Santo Padre al Suo Inviato Speciale al III Congresso per l'Africa e Madagascar sulla Divina Misericordia (Kigali, Rwanda, 9-15 settembre 2016)**

È stata resa nota l'11 luglio scorso la nomina dell'Em.mo Card. Laurent Monsengwo Pasinya, Arcivescovo di Kinshasa (Repubblica Democratica del Congo), ad Inviato Speciale del Santo Padre al III Congresso per l'Africa e Madagascar sulla Divina Misericordia, in programma a Kigali (Rwanda) dal 9 al 15 settembre, che ha per tema "La Divina Misericordia, fonte di speranza per la nuova evangelizzazione in Africa".

Il Cardinale Laurent Monsengwo Pasinya sarà accompagnato da una Missione Pontificia composta dagli ecclesiastici:

· Rev.do P. François Harelmana, S.A.C., Consigliere Generale dei Padri Pallottini a Roma;

· Rev.do Don Jean-Claude Muvandimwe, Vicario Generale dell'arcidiocesi di Kigali.

Questo il testo della Lettera Pontificia al Suo Inviato Speciale:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro
LAURENTIO S.R.E. Cardinali MONSENGWO PASINYA,
Archiepiscopo Metropolitae Kinshasano

"Recogitamus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae; iustitia plena est dextera tua" (*Ps 48,10-11*). Hanc sententiam dum cum tota Ecclesia Iubilaeum Misericordiae celebramus placet Nobis recolere et meditari. Valde enim cupimus novam in communitatibus nostris cogitationem de bonitate omnipotentis Dei concitari. Nunc autem animum Nostrum ad singularis ponderis eventum convertimus, tempus precis, meditationis atque spiritualis renovationis, videlicet ad III Congressum pro Africa et Madagascaria de Divina Misericordia, qui a die IX ad diem XV proximi mensis Septembris Kigaliae celebrabitur. Eius participes argumentum cui titulus "Divina Misericordia: fons spei pro nova in Africa evangelizatione" considerantes, Nostra Nostrorumque Decessorum doctrina inspirantur, de urgenti necessitate novae in toto orbe evangelizationis disserentes atque maximi ponderis quaestiones spirituales et sociales nostrae aetatis attente interpretantes.

Laeto igitur animo epistulam accepimus Venerabilis Fratris Thaddaei Ntihinyurwa, Archiepiscopi Metropolitae Kigaliensis, memorati Congressus Praesidis, qui humanissime a Nobis quaequivit ut aliquem eminentem ecclesiasticum virum eligeremus qui Nostro nomine huic Congressui praeesset. Itaque ad Te, Venerabilis Frater Noster, animum Nostrum vertimus qui Ecclesiam Kinshasanam moderaris atque spiritale iter fidelium in Africa peculiari studio sequeris.

Idcirco harum Litterarum vi Te designamus MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM, mandatis Tibi factis, ut memoratis diebus Kigaliae sacris celebritatibus et congressionibus Nostro nomine praesis atque Nostros spiritales sensus pastoribus fidelibusque ibi congregatis humaniter renunties. Domini Nostri Iesu Christi verba "Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est" (*Lc 6,36*) adhibens, omnes adhortaberis ad praeceptum caritatis assidue servandum adque spiritalem vitam in familiis, paroecis et in religiosis communitatibus novo studio renovandam.

Dum per Te, Venerabilis Frater Noster, omnes consalutamus Praesules, sodales Societatis Apostolatus Catholici, qui in paratione Congressus devotionem et operositatem ostenderunt, nec non fideles qui Kigaliam incolunt et advenient, sicut etiam civiles Auctoritates, precibus Nostris omnes comitamur iisque ominamur ut Dei omnipotentis et misericordis Vultum contemplantes necessaria auxilia, Beata Maria Virgine intercedente, invenire possint.

Munus tuum magni sane ponderis aestimantes, peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam
Benedictionem Tibi peramanter impertimus, universis Congressus participibus copiose transmittendam.

Ex Aedibus Vaticanis, die VI mensis Augusti, in Transfiguratione Domini, anno MMXVI, Iubilaeo Misericordiae,
Pontificatus Nostri quarto.

FRANCISCUS

[01347-LA.01] [Testo originale: Latino]

[B0600-XX.01]
